


18
=

AD ORNANDAM PANEGYRIN
QVA
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
DN. FRIDERICI
HASSIAE LANDGRAVII PRINCIPIS HERSFELDIAE
COMITIS CATTIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-
HAINAE NIDDAE SCHAVENBURGI
ET HANOVIAE RELIQVA
RECTORIS ACADEMIAE
MAGNIFICENTISSIMI
NATALEM XXVIII.
A. D. XVIII. KALEND. SEPT. cib bcc XXXXVII.
CAROLVS PRIZIER
HASSO - CASSELLANVS
EA QVA DECET PIETATE PROSECUTVRVS EST
DISQVISITIONE PRAEMISSA
DE
HERCVLE MVSAGETE
LITERARVM AMANTISSIMOS QVOSQUE AUDITORES
INVITAT
IOH. NICOL. FVNCCIVS.

RINTELII
LITERIS IOH. GODOFR. ENAX A. T.





uamuis vnu ter optimus
maximus Deus, qui operibus admirandis se suamque cum potentia summam sapientiam per orbem manifestauit omnibus, haud difficulter, vel rationis beneficio, a gentibus vbiique terrarum semper fuerit cognitus ac devota mente cultus: vario tamen ac mirifico virtutum atque tot tantarumque rerum et effetuum concurso, a Numine diuino rati esse omnia, figuris atque denominationibus variis diuinitatem significare studierunt. Sic bonas artes et scientias constat tribuisse Musis nouem, (a) quibus historicorum antesignanus, Herodotus, totidem suos consecrauit historiarum libros. In Parnasso, et Helicone, vel in coelo habitantes carminum et musicae inuentrices, imo sapientiae vniuersae moderatrices habentur: vt Callimachus, epigrammate quodam, Musas non solum poeticam facultatem, sed omnia omnino scripti-
onum

(a) De Musarum numero vid. PLVTARCHVS queast. conuiual. 1. 9. c. 14. CICERO de natura Deorum 1. 3. c. 21. ARNOBIUS aduersus gentes 1. 3. p. 71. edit. Hamb. 1610. fol. CAR. PASCHALIVS coronarum 1. 9. c. 14. pag. 660. PITISCVS Ixic. Roman. antiqu. tom. 2. p. 240. v. Musae. Inprimis vero PAVSANIAS Boeoticis, siue Graeciae 1. 9. c. 29. seqq.

onum ac disciplinarum genera inuenisse, tradit. (b) PHOR-
NVTVS (c) bene monet, induci mulieres, quia virtutes ac
disciplinae muliebria habeant nōmina. (d) *Clio, ἀπὸ τῆς κλεός*, quod gloriam adispicuntur dōcti, aliosque laude di-
gnos celebrare soleant: vel quod omnes homines gloria et
honorum stimulis excitentur; vel *ἀπὸ τῆς μλείαν*, cele-
brando, dicta, quod historiae inuentrix fortium virorum
laudes celebrare, eorumque res gestas ad posteritatem trans-
mittere studeat; lauru coronata, tubam dextra, librum si-
nistra tenens pingitur. *Euterpe* nihil aliud significat, quam
gaudium et delectatio, est enim ab ēū, bene, et *τέρπειν*, de-
lectare, quod ex literis maxima voluptas. Inuenit autem
mathemata et tibias: ac dulciloquis dicitur flatibus implere
calamos. *Thalia, ἀπὸ τῆς θάλλειν*, florere, quod poetarum
famam nullo tempore marcescere finat, in conuiuis homi-
nes faciat disertos, affabiles, atque humanos: vnde *Θαλιάζειν*
Graecis est, ad lautijs epulandum conuenire; non vt
poculorum et crapulae fiat liberior decertatio: (e) dicitur

(b) Pl. confer. NATALIS COMITIS mythologia l. 7. c. 15. et
GEOFREDI LINOCERII mythologia Musarum.

(c) De natura Deorum c. 13.

(d) Munera et inuenta Musarum alio alioque describuntur
modo. Consulatur omnino AVSONII edyll. 20. et quae
in Tollii editione Amstelod. 1671. 8. notantur p. 537.
PETRONII AFRANII epigramma satyrico annexa p. 221.
edit. Francof. 1621. 8. Et vulgata haec sunt: *Clio* histo-
riam inuenit, *Melpomene* tragoeidas, *Thalia* comoedias, *Eu-*
terpe tibias, *Terpsichore* psalterium, *Erato* geometriam, *Cal-*
liope literas, *Vrania* astrologiam, *Polyhymnia* rhetoricas.

(e) PLVTARCHVS quaest. conuiual. l. 9. c. 14. extr. *Cupi-*
ditatis partem illam, quae circa esculenta et poculenta versatur.
Thalia, ex inhumana et ferina, socialem et conuiualem reddit.
Quo circa eos, qui comiter et hilariter interfagunt, Θαλιάζειν,
i.e. conuiuari dicimus, non illos, qui insolescunt et debacchantur.

geometriam et agriculturam inuenisse, comoediis autem praesidere et conuiuiis. Hilariori pingitur vultu, cincta ex hedera serto, laruam manu, et foccos in pedibus gestans. *Melpomene*, quod dulci modulatione moueantur omnia, a modulando dicta, est enim μέλπομαι canere, et μέλος ποιεῖν concentum facere, tragoeidas creditur inuenisse, et tragicō proclaimare tristia boatu. Hinc serio pingitur vultu, magnifica veste induita, scepta coronasque altera manu, pugionem altera gestans. Et Graeci rhetorices inuentionem illi tribuunt: vt suavis ille concentus hominem significet facundum et eloquentem, et cuius ore dulcior melle fluat oratio: qui vt maximam dicendo consequatur gloriam, cum eloquentia sapientiam coniungit, ac reip. non parum prodesse studet. Eoque FVLGENTIUS (f) respicere videtur, qui Melpomenen memoriae prodidit nihil aliud significare, quam ἀνθρώπον μελέτην ποιέμενον, hominem meditationem facientem. *Terpsichore* citharistica, ἀπὸ τῆς τέρψεως χορᾶς, a delectandis choreis, citharam inuenit, choreisque ac tripudiis maxime delectatur. Nec incomta est LINOCERII (g) coniectura, Terpsichoren dici, quod chorū Musarum delectet, et fabulam nihil aliud innuere, quam rebus seriis Musas quasdam esse intentas, vt philosophiae et mathematis omnibus, reliquas vero rebus iocosis instructas: vt docerent, fieri non posse, vt qui bonam aetatis partem in colenda Calliope et Vrania consumferit, non aliquam capiat delectationem ex choreis, musica, poesi, conuiuiis, aliisque ludicris. Sic certe amant alterna Camenae. *Erato*, ἀπὸ τῆς ἐρᾶς, ab amando, nomen tulit, illo sc. amore, qui cum vniuerſa philosophia coniunctus, imo doctis ingenuis a natura, cuius instinctu et splendore Socrates euolare potuit altius, ac diuina scrutari mysteria; vel ab interrogandi et respondendi potentia: vt artis peritos constat etiam ratio-

(f) Mythologici I. 1. c. 14.

(g) Mythol. Musar. c. 6.

tiocinandi valde studiosos esse. Et hanc Musam illis praefesse volunt, qui heroum incluta facinora, res gestas, et amores canunt. (b) Illa vero historiae cura potius ad *Polymniam* pertinet, (i) quae *πολὺς μνεῖα*, multa memoria, memoratu maxime digna celebrat plurima, vel quae iam tum a maioribus cantata resumit, et quicquid in carminibus et commentariis est, ad perpetuam rei memoriam, literis et elegantiori habitu proponere studet. Pingitur, coronam margaritis constantem, ac togam candidam gestans, manu dextra ad perorandum exerta, et librum, cui suadere inscriptum, laeva tenente. *Vrania, ἀπὸ τῆς σπειρᾶς*, a coelo, dicta, astronomiam docuit, totamque coelestem disciplinam, seu rerum quarumque naturam: vniuersum enim mundum veteres vocarunt coelum. (k) Pingitur induta veste caerulea, stellis coronata, vtraque manu globum ingentem tenuens. Nec ab re PLATO (l) astronomiam, quam Vraniam appellant veteres, mortalium animos existimat ad superiorea dirigere, et hinc illuc ipsos perducere. *Calliope*, a vocis suauitate dicta, est enim καλός bonus, et ψυχή vox, eloquentiam demonstrat, et carminis heroici maiestatem. Pingitur hinc iuuacula, floribus coronata, laurea manu laeva tenens ferta plurima, volumen autem dextra carminis elegantissimi. *FVLGENTIVS* (m) totius fabulae hunc arbitratur esse ordinem ac sensum.

1. Velle doctrinam.
2. Eo delectari, quod velis.
3. Instare eo, quo delectatus es.
4. Capere id, quo instas.
5. Memorari, quod capis.
6. Inuenire de tuo simile quid illi, quod memineris.
7. Iudicare, quod inuenias.
8. Eligere, de quo iudicas.
9. Bene proferre, quod elegeris.

Quoquo se res habeat modo, bona-
rum

(b) Vid. VIRGILIVS Aeneid. l. 7. v. 37.

(i) Vid. PLVTARCHVS quaest. conuial. l. 9. c. 13.

(k) PHORNVTVS de natura Deorum c. 13.

(l) De rep. lib. 7.

(m) Mytholog. l. 1. c. 14. extr.

rum artium et scientiarum praefides Musas ex Ioue et Mnemosyne fingunt olim natas fuisse in monte Pierio, de quo PHAEDRVS: (n)

— tonanti sancta Mnemosyne Ioui,
Fœcunda nouies, artium peperit chorum.

Propterea, quod qui limen Musarum intrare, operamque bonis artibus nauare studet, necesse fit, νοητικὸν εἶναι, ηγή μνημονικόν, i. e. percipiendi vel intelligendi facultate, et retinendi potestate, seu memoria, in primis pollere; significare voluerunt, Musarum parentes, Iouem τὸ νοητικόν, et Mnemosynen τὸ μνημονικόν tribuere: sine quibus incassum laborari, experientia nos quotidiana docet. (o) Dicta Graecis *Musa* est, quae Latinis *Inuestigatio*, vel *Inquisitio*. ISIDORVS: (p) dicta *Musica* per derivationem a *Musis*. *Musae* autem appellatae ἀπὸ τῆς μῶσθας, i. e. a quaerendo, quod per eas, sicut antiqui voluerunt, vis carminum et vocis modulatio quaeretur. Quarum sonus, quia sensibilis res est, praeterfluit in praeteritum tempus, imprimisque memoriae. Inde a poetis, Iouis et Mineruae filias Musas esse, confitum est. Nisi enim ab homine memoria teneantur soni, pereant, quia scribi non possunt. PHOR-NVTVS: (q) καλλύτας δὲ Μάσσας αὐτὸς μῶσθας, ὅτι γέτεν. Eoque THEOGNIS (r) alludit, vbi literarum studiosos monet:

Χρὴ μάσσων θεράποντας ηγή αὔγγελον, εἴ τι περισσόν

Εἰδεῖν σοφίης, μηδὲ Φθονερὸν τελέθειν:

Αλλὰ τὰ μὲν μῶσθας, τὰ δὲ δεικνύναι, ἀλλαδὲ ποιεῖν.

Oportet

(n) Fabul. lib. 3. prolog. v. 18.

(o) Vid. RHODIGINVS lect. antiqu. l. 10. c. 16. extr. et l. 20. c. 10. TVRNEBVS aduers. l. 28. c. 43.

(p) Orig. l. 2. c. 14. SVIDAS h. v. Μῆσσα est cognitio, ab inquisitione et inuestigatione dicta, quae omnis eruditonis causa est, meritoque sic appellata a veteribus.

(q) De natura Deorum c. 13.

(r) Sentent. v. 770.

Oportet Musarum famulum et nuncium, si quid eximium

Nouerit sapientiae, non inuidum esse:

Sed alia quidem inquirere, alia vero iudicare, alia vero facere. Sunt, qui, a conuenientia et nexus disciplinarum, vel encyclopaedia, Musas velint quasi *έμειστας* fuisse dictas. (s) EVSEBIVS (t) α μέω Musae nomen deducit, quod significat instituo vel instruo. Eum audiamus, sed ex aliorum opinione, et, Georgio Trapezuntio interprete, Latine loquentem: *Musas Iouis, Coeli, et Terrae filias opinantur, quas plurimi virgines fuisse configunt, et sic appellatas, quoniam μνεῖν Graece honesta bonaque doctrina instituere significat.* I. CAES. SCALIGER (v) ἀπὸ τῆς μανῶσθαι, quod iis inuentio tributatur, Musarum nomen deducit; vel ἀπὸ τῆς μανῶσθαι, vnde mysta et mysteria, quo verbo iudicium significatur. DAN. HEINSIVS, (x) G. I. VOSSIUS, (y) I. PHIL. PFEIFFERVS, (z) et plures alii ab Hebraeo γυναι, *Mosar*, deriuant, quod disciplinam significat, vnde Doricum μάστα, et alia tandem dialeto μάστα, vt nihil aliud, quam artem seu disciplinam, innuere videatur. Ipse PLATO (a) a musica Musis nomen inditum opinatur, vbi Socratem istas alloquenter proponit: ἄγετε δὲ τῷ μάστα, εἴτε δὲ ωδῆς εἴδος λίγειοι,

εἴτε

(s) Ex Plutarcho STOBAEV serm. 82. p. 474. οἵμης έστα simul degentes.

(t) De praeparatione euangelica l. 2. c. 2.

(v) Poetic. l. 1. c. 2. Pl. vid. PHOTII bibliotheca cod. 279. p. m. 1582.

(x) Aristarcho sacro.

(y) De idololatria l. 1. c. 13.

(z) Antiq. Graecar. l. 2. c. 64. p. 425.

(a) Phaedro, oper. p. 1215. edit. Francof. 1602. fol. Nec ab aliis, Orpheum secuti, μάστας, per concisionem, quasi μελέστας, dici putant, vt nihil aliud sint, quam μέλος ἀρμονικόν.

εἴτε διὰ γένους μυστικὸν τὸ λιγύων, ταῦτη ἔχετ' ἐπωνυμίαν.
Iam agite, o Musae, sine propter cantus speciem, sine propter musicum
genus illud suauium et stridularum cognomen habetis. Artis ac
disciplinae profecto appellatione insignita est musica prae
ceteris artibus ac disciplinis *νατ'* ἐξοχὴν, quod non solum
ab ea veteres caperent initium disciplinarum, sed vetustissi-
ma etiam esse videretur. Etenim si repetantur eius initia,
Iubal, Adami trinepos, iam cithara et tibia canendi artem
reperiisse legitur. (b) Et Timagenes auctor est, (c) omni-
um in literis studiorum antiquissimam musicen extitisse.
Postea Musarum nomina omnes artes liberales contineri
cooperunt, quae ab illis inuentae credebantur: (d) ut viri
eruditissimi vulgo eas per artem oratoriam, poesin, huma-
nitatis studia, literas elegantiores, et quasunque disciplinas
interpretari non dubitauerint. CICERO: (e) quis est enim,
qui cum Musis, i. e. cum humanitate et cum doctrina habeat ali-
quid commercium etc. Idem: (f) cum omnibus Musis ratio-
nem habere cogito. Rursum: (g) ab orationibus diiungo me
fere, referoque ad mansuetiores Musas: quae me maxime, sicut
iam a prima adolescentia, delebarunt. Nam et alibi (h) foren-
ses caussas agrestioribus Musis relinquendas censuit: et Mu-
sas forenses, profici et caussarum studio, auctor dialogi de o-
ratoribus habet. (i) Sedes in Graecia Musis Helicona Par-
nassumque montes constituerunt: unde synonyma illarum
plurima. Vocantur enim a fonte Hippocrene, qui et
Aga-

(b) Genes. IV, 21. confer. ISIDORVS orig. I. 2. c. 15.

(c) Apud QUINTILIANVM instit. orat. I. 1. c. 16. Confer.
CICERO Tusculan. quaest. I. 1. c. 2.

(d) Vid. PLVTARCHVS quaest. conuiual. I. 9. c. 14. Pl. vid.
apud BARTHIVM ad Claudian. animaduers. p. 1093. seq.

(e) Tuscul. quaest. I. 5. c. 23.

(f) Ad Atticum I. 2. epist. 5.

(g) Ad diuersos I. 1. epist. 9. n. 67.

(h) Oratore c. 3. extr. (i) Cap. 12.

Aganippe, *Aganippides*; ab Aoniis montibus, *Aonides*; a cantu et carminibus, *Casmeneae*; a Castalio, Parnassi fonte, *Castalides*; ab Helicone, Boetiae monte, *Heliconiades*; a Magneiae fonte ipsis consecrato, *Libethrides*; a Maeonia regione, *Maeonides*; a Mnemosyne, matre sua, *Mnemosynides*; ab Olymbo, Macedoniae monte, *Olympiades*; ab Hippocrene, quem fontem Pegasus vngulae iictu aperuit, *Pegasides*; a Pierii montis amoenitate, *Pierides*; a Thespia, Boetiae cuitate, *Thespiales*, etc. SVIDAS: k) *Plures Musas a theologia perhiberi tradunt, quod magna varietas sit disciplinarum et eruditioris, et ad omnem usum accommodata.* Musas Apollinem addiderunt, velut nobilissimae societatis praesidem ac ducem. (l) quem Musageten nominarunt. PLVTARCHVS: (m) libamenta Musas dedimus: ac postquam Musarum ducem, Apollinem, paeanie celebrauimus, accinimus ad lyram Eratoni ex Hesiodo Musarum natales. Rursum: (n) Medicos etiam ducem habere scimus Aesculapium: et Apollinem paeania ubique adhibere, Musageten, i. e. Musarum praesidem, nusquam. STRABO: (o) οὐτω δὲ καὶ αἱ Μεσαὶ θεοὶ, καὶ Ἀπόλλων μεσηγέτης, καὶ παιγνικὴ πάσα οὐρανικὴ ἥστα. Illi autem et Musae Deae, et Apollo Musagetes, seu Musarum ductor, totaque poetica, laudes Deorum decantans ei adscripta. Cum enim Musarum cuique sua munera et inuenta placent: omnia dirigit ac moderatur Apollo, cui, velut principi, doctae societatis vniuersa

B

tribu-

(k) Voc. Μεσαί.

(l) SVIDAS v. μεσαι παλαι

(m) Quæst. conuiual. l. 9. c. 13.

(n) Ibid. cap. 14. p. m. 574.

(o) Geograph. l. 10. p. m. 322. PAVSANIAS I. 5. c. 18. Sunt Cameneae canentes, modos praeceunte Apolino. Appositi versus:

Λατοῖδας ἔτος τάχ' ἀναξ ἐκάρχος Απόλλων,

Μεσαι δάμφ' αὐτὸν χαρίεις χορεῖς, ἀστι κατάρχει.

Latoides forte hic rex est iaculator Apollo:

Circumstant Musae, lepidus chorus: incipit ille.

tribuitur gloria: nam, vt AVSONII (*p*) verbis vtar,

Mentis Apollineae vis has mouet vndeque Musas.

In medio residens complectitur omnia Phoebus.

Equis Apolline suauior digniorque Musagetas, qui paria cum Musis studia fouit, eloquentiae ac musices peritisimus fuit, citharam tractauit elegantissime, carmina cecinit admiranda modulatione, artemque salutarem inuenit, vt corporis simul ac animi quoscunque propelleret morbos: vnde perpetua illi adscribitur iuuentus: et imberbis semper fingitur a poetis, formosus et caelus Musarum dux atque custos: cui cygnus facer, qui canendi suauitate et corporis nitore commendatissimus ales. (*q*) Quid contra cum Hercule Musis, qui et illarum socius non raro et Musagetas vocatur: cum fuerit omnium bellicosissimus, armatus semper horribili clava, et opima leonis spolia, ad terrorem vsque, secum ferens. Sunt imbelles Musae ac mansuetae: vt nemo piatorum sculptorumue ausus fuerit vnguam Musis, filiabus Iouis, falsas, adulterinas, et alienas species affingere. Neque opificum quisquam rationis tam expers est, qui eas nobis armatas effingat. Et illud argumento nobis esse potest, eam vitam, quae Musis tribuitur, placatam, facilem, dignamque ipsis esse oportere. (*r*) Qui ergo cum Musis, i. e. cum humanitate et literis, commercium aliquod habere cupit, earundemque societate perfui: eum non ferocem, non barbarum, non bello strenuum, sed liberalem, elegantem, et pacis studiosum esse oportet: alioqui iucundum et stabile non poterit earum esse consortium. Ut Romae Hercules variis cognominibus est cultus, venit etiam sub titulo Herculis Musagetae, vel Herculis Musarum, vel Musarum ducis: quia fortitudo Musis et bonarum artium doctrinae quietem et securitatem praefstat, saltem praestare deberet. Silent enim

(*p*) Edyll. 20. vbi Musarum inuenta et munera describit,
extr.

(*q*) Pl. vid. PHORNVTVS de natura Deorum c. 31.

(*r*) AELIANVS variae historiae l. 14. c. 37.

enim, proh dolor! vbique inter arma Musae. Miratur hinc PLVTARCHVS, (s) et in caussas inquirit, cur ara fuerit Romaë Herculis et Musarum communis. Fuit enim regio-ne nona, quae circus Flaminius vocatur, non solum pante-um Iouis vltoris, in quo signa Herculis, Mineruae, et Vene-ris, verum etiam aedes Herculis Musarum. (t) Templum istud Herculis Musagetae M. Fulvius Nobilior statuit. Is primo, cum proconsul Aetolos vicisset, et Ambraciā oppidum in ditionem cepisset, nouem Musarum signa, inde translata, sub Herculis tutela, consecrauit anno ab urbe con-dita DLXVI. Lepido Flaminioque cosl. (v) Censor au-tem DLXXIII. ex censoria pecunia Herculis, Musarum cu-stodis, aedem ad circum Flaminium fecit, et in ea Musarum signa nobilia consecrauit, quae ex Ambracia capta trans-tulerat. (x) Templum Herculis et Musarum commune istud a Fulvio exstruetum, quod vetustate et iniuria tem-pe-statis continua infraetum prope ruinam minaretur, Augusti Caesaris Octauiani temporibus, singulari erga Herculem Musagetem pietate, Martius Philippus restituit. (y) Vnde OVIDIVS: (z)

Dicte, Pierides, qui vos adiunxerit isti,

Cui dedit inuictas victa nouerca manus?

B 2

Sic

(s) Quaeſt. centur. Rom. c. 59.

(t) Vid. ONVPHRIVS PANVINIVS reip. Rom. comment. l. 1. p. m. 92.

(v) Vid. CICERO orat. pro Archia c. 11. PLINIVS hiſt. natur. l. 35. c. 10. init. EVMENIVS paneg. pro restauroſis ſcholis c. 7. SIGONIVS comment. in faſt. et triumph. Rom. ann. 566. apud Sylburgium hiſt. Rom. tom. 1. p. 158. PIGHIVS annual. Rom. tom. 2. p. 302.

(x) PIGHIVS annual. Rom. tom. 2. p. 338. MARLIANIVS Romae topographia c. 103. apud BOISSARDVM antiqu. Rom. part. 2. pag. 145.

(y) SVETONIVS Aug. c. 29.

(z) Faſtor. l. 6, v. 799.

Sic ego: sic Chio, clari monumenta Philippi
Appicis. — Atque etiam ad templum istud respicit, vbi de falsis emtisque
seminarum criminibus agit: (a)

— Venire videmus

Herculis ante oculos Virgineumque chorum.

Et veteri quidem Herculis atque Musarum templo ille Martius Philippus, Augusti vitricus, porticum addidit elegan-
tissimam, de qua MARTIALIS: (b)

Vites, censeo, porticum Philippi,

Si te viderit Hercules, peristi.

Hodie templum est S. Luciae in apothecis obscuris, in aditu
circi Flaminei. (c) Atque etiam Hercules artis gymnasti-
cae creditur fuisse praeses, et in Arcadia templum habuit cum
Mercurio commune. (d) Herculis atque Musarum Romae
aram fuisse communem propterea PLVTARCHVS (e) ma-
xime arbitratur, quod Hercules Euandrum literas docuit.
Censebantur profecto praecclare illi facere, qui amicos et pro-
pinquos erudire itudebant. Et sero coepit est doceri mer-
cede: nam Sp. Caruius, illius, qui coniugem, sine cuius-
quam exemplo, repudiauit, libertus, Romae primus ludum
literarium aperuit. (f) Ecquis vero hanc fabulam non
ridet? Etiamsi res ita se haberet, vt Herculii aliquando pla-
cuerit ludi esse magistrum: (g) non video, qua ratione Ro-
mani eius sacra, propter res fortiter gestas et robur longe
maximum, instituta, voluerint Musis esse communia.
Caussam vero omnium optime EVMENIVS, (h) eamque
suffici-

(a) Artis amatoriae l. 3.

(b) Lib. 5. epigr. 50.

(c) FABRICIVS Roma c. 9. p. 75. etc. 13. p. 127.

(d) Vid. wossiVS idololatr. l. 3. c. 19. p. 812.

(e) Quaeſt. centur. Rom. c. 59. oper. p. m. 625.

(f) Confer. comment. de adolescentia. Lat. Ling. c. 4 § 4.

(g) Alia vero de Hercule et Euandro memoriae prodidit
STRABO geograph. l. 5. p. 159. edit. Casaubon.

(h) Panegyrico pro restaurandis scholis c. 7.

Sufficientem proponit: *Aedem Herculis Musarum in cireo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo fecutus, quod ipse literis et summi poetae amicitia duceretur; sed quod in Graecia quem esset imperator, accepérat, Herculem Musagatem esse, i. e. comitem ducentem Musarum: idemque priimus nomen signa, hoc est, omnium Camenarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis, consecravit: ut res est, quia mutuis oibis et praemiis iuuari ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, et virtus Herculis voce Musarum.* *Μερούητης* ergo, siue Musarum ductor, et Apollo fuit, et ipse Hercules. Neque solum in Helicone dies agitabant festos ludosque Musarum, quae *μαγοῖς*; (*i*) verum etiam Herculis, quae *Ηρακλεῖα* nominabantur. (*k*) Ecquis dubitat, Musas Herculis facinora quoquaque modo celebrare; et Herculem Musarum sacris interesse, imo praeesse. Nec ab re olim, PAVSANIA teste, (*l*) Lacedaemonii Musis dicarunt aedem, et in proelia exierunt non ad tubae sonitum, verum ad tibiarum modos, et lyrae cantiunculas. Imo rex Spartanus Musis ante pugnam sacra facere debebat. (*m*) Virtus omnium disciplinarum atque adeo Musarum scopus est. Atqui hanc unam Hercules fecutus, perpeti et superare potuit omnia. Hinc peruulgata Graecis cantio apud ATHENAEVM, (*n*) cuius latine sufficiet dare argumentum, ut eam Dalechampius vertit: *virtus laboriosa generi mortaliū, indago vitae pulcherima: ob tuam, virgo, formam Graecis mors est opribilis, tolerandique grauiissimi laboris indefessa constantia. Tali scilicet fructu mentes accendis, immortali, auro praefantiori, anteponendo vel parentibus, ac lenienti dolore somno. Tua caussa diuus Hercules Ledaeque filii multa perpessi sunt, gestis rebus potentiam tuam ac vim praedicantes. — Quem actis rebus clarum et celebrem semipererna laude Musae decorabunt, Mnemosyne ac Iouis filiae, maiestatem*

(*i*) PAVSANIAS I. 9. c. 31. (*k*) Ibid. c. 32.

(*l*) Lib. 3. c. 17. (*m*) PLUTARCHVS in Lycurgo.

(*n*) Deipnosoph. I. 15. c. 16. init. In virtutem Aristotelis hymnus vocatur apud STOBAEVM sermon. I. p. 2.

statem Louis Hospitalis extollentes, firmaeque amicitiae praemia.
Sed quanto studio Hercules virtutem prosecutus sit, ipsa eius confessio testatur, quam M. Brutus post infelix proelium, desperans salutem, alta voce recitauit: (o)

Ω τλημον ορετή, λόγος ἀρ' ἡσθ'. ἐγώ δέ σε
Ως ἔργον ἥσκην. σὺ δ' ἀρ' ἐδέλευες τύχη.

*O infelix virtus, itane, cum nihil quam nomen esses, ego te tanquam rem aliquam exercui, quum tu fortunae seruieris? Quam disceptationem virtus atque voluptas habuerit cum Hercule, quamque is vitiae rationem inierit, ex Proculo XENOPHON (p) memoriae prodidit. Et propter virtutem coelo receptus, singitur ne Plutonem quidem salutasse, quod fortunae filius, diuitias laudi ac meritis preferre soleat. (q) Quidni Hercules aequa Musagetes esset dicendus, atque Apollo: cum vterque pari modo, literarum ac virtutis studiosissimus, sororiori nexu coniunctas omnes Musas amplecti, fouere, ac tueri videatur? Dux et praeses Musarum, Apollo, Solem credebatur repraesentare. (r) Neque alium volebant esse Herculem: ut ex ipsa nominis ratione patet. Sunt, qui eum ab Hebraeo חֶרְכֵל, *Heir col.*, i. e. illuminavit omnia, deducere conantur. Nec alienum est ab ea significacione etymon Graecum: dicitur enim esse ἥρας ωλέος, aeris gloria: quae profecto non alia, quam solis illuminatio. Vnde MACROBIVS: (s) sed nec Hercules a substantia solis alienus est. *Quippe Hercules ea est solis potestas, quae humano generi virtutem ad similitudinem.**

(o) Apud DIONEM CASSIVM l. 47. extr.

(p) Memorab. siue de factis et dictis Socratis l. 2. p. m. 461. seqq. Confer. IVLIANVS, imperator apostata, orat. 2. oper. tom. I. p. 56. STOBAEVS ferm. I. p. 28. seq.

(q) PHAEDRVS l. 4. fab. II.

(r) CICERO de natura Deorum l. 3. c. 20. Confer. AVSONIVS de Musarum inuentis edyll. 20. extr. IVLIANVS imperator orat. 4. oper. tom. I. p. 152.

(s) Saturn. I. I. c. 20. PI. vid. VOSSIVS idololatr. I. 2. c. 15.

militudinem praestat deorum. etc. Ab Orpheo in hymnis quoque μυσαγετης sol vocatur, quod omnium orbium harmoniam temperet. Phoebus ille Musagetes, siue Apollo, siue Hercules nominatur, ad res fortiter et prospere gerendas, imo ad conseruandam perenniem virtutis gloriam, Musarum institutione et opera indigent: ac Musae contra, ut liberali otio suaque tranquillitate gaudent, fortissimi herois praefidium, regimen, atque tutelam requirunt: cum inermes ac mansuetae virgines ipsae barbarorum infidiis et nefariis insultibus resistere nequeunt; sed voluptatem securam atque constantem a fortiori numine eiusque patrocinio exspectant: ut, Deus, inquit, (t) nobis haec oria fecit. Sine literis et meliori institutione fortis nemo dicendus, quandoquidem non solum armis, verum etiam consilio, ad hostes repellendos pacemque stabiliendam, opus est: fortissimos autem quosque Hercules nominare consueuerunt, qui sine Musis atque adeo fine virtute nulli sunt: nisi feris bestiis eam fortitudinem insignem cum illis esse communem dicere velis. Sed artibus ingenuis

Pectora mollescunt, asperitasque fugit:

Artibus ingenuis quaestitia est gloria multis. (v)

Cum humanitate et arctissimo virtutum omnium vinculo, iuxta Deum, a liberalioribus Musis, i. e. literarum studio, dependet sapientia, quae vna commendandum heroem formare et instituere potest. Quem diuina non delectaret mathesis et naturae vniuersae scrutinium? Quem non moueret musica, eaque ad res qualescumque accommodata bene dicenscendi facultas, quae sifit flumina fortius, et stipites lapidesque olim post se trahit? Quem ex mortalibus suspicentem non afficeret stupenda tot tantorumque coelorum machina? Quem non aliceret historia, illa testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis, (x) quae vna Herculis cuiusque res fortiter gestas immortalitati

com-

(t) VIRGIL. ecl. I. v. 6. (v) OVIDIUS ex Ponto l. I. eleg. 7.

(x) CICERO de oratore l. 2. c. 9.

commendare valet? Musarum est, ecquis ierit inficias? vi-
rum ad virtutem animos carminibus inflammare: bonos in
calamitatibus consolari, praeclara facinora decantare, vt,
eorum imitatione, heroum quotquot ambiant gloriam, ad
virtutem incitarentur. Ex Musarum instituto, eiusmodi
cantilenas fuisse in antiquorum conuiuiis, NATALIS CO-
MES (y) pluribus docet: vt musici et poetae, lyra tibiisque
canentes repraesentarent Musas, ac semet etiam ipsorum
viros inter morum magistros et emendatores profiterentur.
Virum fortem et magnanimum eum reliquae Musae, opti-
marum artium inuentrices suavesque nutrices, tum elo-
quentia maxime, quam Calliope vocarunt, ad res prospere
gerendas, vbiique comitari debent. Hinc antiquissima
HESIODI (z) commendatio:

Καλλίσθη δ, ἵδε προφέρεται την εἰναν διπλαῖς.

Ἡ γέροντος Βασιλεῦσσιν ἀμένδεοισσιν ὁ πηγῆς.

Calliope, haec autem excellentissima est omnium.

Haec enim et reges venerandos comitatur.

Et in sequentibus docet, quemcunque honoratiae sint ma-
gni Iouis filiae, illi super linguam dulcem fundi cantilenam:
et verba ex ore eius fluere blanda: vt populi omnes ad ipsum
respiciant, ius rectis iudicii discernentem. Illum beatum,
quemcunque Musae amant: suauem ei ab ore fluere vocem:
nullam relinqui tristiae locum: et maximam clarissimis
operibus gloriam parari. Ecquis dubitat, illos omnes, ma-
xime vero principes viros, et qui cum imperio sunt, qui diu
multumque semet in bonis artibus ac disciplinis liberaliori-
bus exercuerunt, literas humaniores et recondita philosophorum
mysteria hauserunt: illos inde non solum hono-
rem et gloriam incomparabilem, verum etiam delicias et
maximam voluptatem reportatueros. Nemo est tam auer-
sus a Musis, qui non aeternum laboris sui praeconium
ver-

(y) Mytholog. 1.7. c. 15. p. m. 765. seq.

(z) Theogonia.

versibus mandari facile patiatur : (a) nam , quae ver-
rissima HORATII (b) confessio est , *dignum laude virum
Musa vetat mori. Coelo Musa beat. Sic Iouis interest opta-*
tis epulis impiger Hercules. Vt vero nihil ex omni parte
beatum , et inuidia virtutis semper comes fuit , imo bo-
nae mentis soror paupertas : Musae adeo adamatae non
in palatiis vrbi amplissimarum , non diuinitis abundan-
tes , sed lauro suisque artibus contentae montium sterili-
um nemorumque fuerunt incolae , forsan et maleuolorum
vitimae , nisi Herculis , velut numinis fortissimi at-
que ducis sui , praesidio et auctoritate , aduersus generis
cuiuscunque insidias , vel insultus , defenderentur . Neque
virginum castissimarum vna vel altera iniquiori sorte , ac
fati malignitate , sed gregatim omnes eadem et communi
miseria laborantes mentis solum bonitati studuerunt :
suisque cultoribus et aemulis documento fuerunt : vbi
dialis , rabula , et medicamentarius , fraude , iurgiis , et
clamoribus ditescant , ac superbi oppida perambulent ; vbi
sellularius aliquid quotidie lucello apponat : folos optimarum
artium professores , vtut eruditissimi habeantur ,
nisi quos aut auita res , aut aliud artificium subleuet , ac
diuitibus adulari velint , vitam viuere miserrimam , lau-
dari et frigere , ad sidera tolli et iacere , aedes incolere
vacuas , et cubitum saepe incoenatos petere , vt summo
mane facilius , ad Musas salutandas , expurgiscantur . Sed
fauet genti suae doctus Apollo , et Musagetes bonos forti ma-
nu tuetur ac defendit Hercules . Neque adeo mirum Viros
Principes , et Imperatores , et Reges , prope armatos , Musarum
delubra coluisse : vt , qui cum Aetolis bellauit , Fulvius ille
Martis manubias Musis consecrare non dubitauit , (c) atque

C

in

(a) CICERO orat. pro Archia c. 9.

(b) Carm. I. 4. od. 8.

(c) CICERO orat. pro Archia c. 11.

in vrbe Roma Herculi Musarum, quod dux et princeps eorum haberetur, commune et elegantissimum statuere templum. Immortalis et peruvulgata Ptolomaeorum, Eumenis, Mithridatis, Philippi, Alexandri, Caesaris, Augusti, Traiani, Antonini, Constantini, Iuliani, aliorum non numerandorum gloria. Sufficiunt Cattis exempla Principum suorum domestica, qui bonis artibus egregie instrui in Serenissima Familia, multis coruscante luminibus, gentile propemodum habuerunt. (d) Ecquis SERENISIMI PRINCIPIS, DOMINI FRIDERICI, HASSIAE LANDGRAVII, RELIQVA, MARBVRGENSIS ET RINTELIENSIS ACADEMIARVM RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI, Herculis Musagetae, fortitudinem, doctrinam, et liberalitatem non admiratur? Stat ille quidem bello strenuus aduersus hostes, suaque vietribus armis vbiique trophea, virtutis insignia ponit: sed tamen Hassiae toto Helicone Musarum etiam, vt ipse literarum est amantissimus Heros, curam longe maximam gerit: vt ad eum, ducem atque praefidem suum, detonantibus calamitatum nubilis, confugiant, certoque auxilio reficiantur. Nos maxime veneramur clementiam, quam Musis nostris testatur, vt revera munificentissimi Ducis atque Rectoris laudem possidet. Adeo plurimorum inopiam subleuat incomparabili gratia: vt fortius semet ab Hercule Musagete recreari et sustineri sentiant. Valeat, valeat Graeciae decantatissimus Apollo, quo Musarum chori plurimum superbiisse leguntur. Herculem hunc Musagetem per multos annos sakuum, felicem, incolumem, T. O. M. Deus conseruet: et felicissimo loco in Hassia, patria nobis dulcissima, res erunt Musarum


(d) THYANVS histor. lib. 105. ad ann. 1593. pag. m.
503.

farum. Atque is **FRIDERICI**, Principis Celsissimi, laetissimus viror, qui a virtute exoriens, eos producit fructus, qui temporum et annorum omnium iniurias superiores maturitate perfectissima perennant. Prout divina gratia fortunarum atque virtutum Paternarum unus constitutus est Heres: eas omnes constanti felicitate ita novavit usurpare, ut hoc, velut certissimo fulcro, aeternitas **SERENISSIMAE DOMVS HASSIACAE** firmetur. Et a Musis, quas adeo fouet ac ornat, grata exspectanda mens est. Harum deuotissimo cultu Musagetes Hassiacus noster aeternum viuet: vt, quibuscunque artibus immortalitatem obtinuit antiquitas, illae omnes **TANTO PRINCIPIS** eiusque summis laudibus famulature sint. Vniuersa profecto certabit, in virtutibus explicandis, et historiae, et poeseos, et eloquentiae industria, et ipsa re ostendet, non minus ad scribendum ab Heroibus Musis, quam ad praeclara facinora Heroes a Musis excitari. Rintelenses in primis hoc facere, necesse est. Etcraftina luce, cum feliciter, faxit Deus, a. d. XVIII. Kal. Sept. **SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI FRIDERICI, HASSIAE LANDGRAVII, PRINCIPIS HERSFELDIAE, COMITIS CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIEGENHAINAE, NIDDAE, SCHAVENBURGI, ET HANOVIAE, RELIQVA**, Herculis Musagetae, candissimus natalis vicesimus octauus celebrandus erit, hora ante meridiem decima, in auditorio maiori, ex optimo studiosae iuuentutis flore, *Iuuenis Vir Praestantissimus et Ornatusissimus*, D. CAROLVS PRIZIER, Hasso-Cassellanus, *Viri Amplissimi et Consultissimi*, Domini IOHANNIS NICOLAI PRIZIER, *Augustissimo et Potentissimo Suedorum, Gothorum, et Vandalorum Regi, Hassiae Landgrauio, etc. a Consilio Camerae, Aediliumque Praefecti*, haud degener filius, oratione,

quam suo Marte conscripsit, natalem hunc **OPTIMO
PRINCIPI, ET ACADEMIAE HVIVS RE-
CTORI MAGNIFICENTISSIMO**, gratu-
labitur, ac Numini aeterno mente humillima supplicabit,
quam diutissime eum saluum, incolumem, ac laetum ser-
vare, eumque diem, adeo rebus nostris salutarem, adeo
exoptatum auspicatumque, candidorem semper reducere
velit. Vos ergo, Academiae Proceres et Ciues, et omnes
omnium Ordinum Viri, qui Musagetae ipfisque Musis
Rintelienibus fauetis, rogo et obsecro, prout sponte ve-
stra eiusmodi pietatem et iustam, et necessariam iudicatis,
tempore et loco iam annotato, his sacris interesse frequen-
tes, oratorem beneuole audire, vestraque cum ipsis, imo
nostris, vota coniungere velitis.


P. P. Rintelii XVIII. Kalend. Septembbris
clcc XXXXVII.





ULB Halle
006 576 761

3



VD18



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-696044-p0026-7

DFG

AD ORNANI
 SERENISSI
 AC
DN. FR
 HASSIAE LANDGRAVI
 COMITIS CATTIMEI
 HAINAE NIDDA
 ET HANO
 RECTORIS
 MAGNIF
NATALE
 A. D. XVIII. KALEN
CAROL
 HASSO -
 EA QVA DECET PIET
 DISQVISITIO
 HERCVLE
 LITERARVM AMANTISS
IOH. NICOL
 RIN
 LITERIS IOH. G



18
=

471.